



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

10. Bibendi intemperantiâ plurimos ægrotare.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

Tit. 2. 2.

nulli ætati conuenit gula, maximè tamen ea dedecet senes. Quare Titum monet Apostolus, vt *senes sobrios esse jubeat*, ne ex crapula illis somnus & corpor dominetur, phlegmate adaucto, ex quo somnus inducitur. Sed nescio quo modo gastrimargia, quæ nulli non ætati insidiatur, senilibus tamen annis maximè adhæret. Putant homines, canis plus deberi, & longè aliter quàm Bercellai sentientes, inde vires volunt restaurare, vnde maximè opprimuntur. Quod iudicium in senibus est erubescendum. Nam pueris eum errorem esse, vt putent se fructibus seu maturis, seu immaturis, nihil sanitati nocere, minùs mirabile est.

X.

Ex culinis ad cellas veniamus. Nam inde quoque magis venena, quàm vina depromuntur. Neque iam tantùm vina vo-  
so venena, quemadmodum, apud Xenophontem Cyrus, cui idcirco Sacas pincerna fuit odiosus, quòd Astyagi non vinum, sed venenum miscuisse videretur, quo epoto, vacillaret, & ambulare non posset: aut quia non rarò magnatibus in vino venenum miscetur, vnde illis pocillatore opus est, qui, suo periculo, domini fata prægustet; sed quia reuera etiam merum vinum, instar virulentæ bestię mordendo à se morbos & pestes infundit, omnia

Prou. 23. 29.

quæ depopulatur membra intemperanter ingurgitatum. Cui va, ait Salomon, cuius patri va? cui rixa? cui fouea? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonnè his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum, quando flarescit, cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet. Bellissimè quidam in senem bibulum, sub amphora, vel piscibus natum, his versiculis lusit:

Bernhard.  
Bahusius, lib.  
1. epigr.

*In niuis Appi iam regnat Bruma capillis,  
Inq, oculis semper viuo flammantibus Æstas:  
Baccifer Autumnus pingit nasumq, genasq;  
Cumq, bibit, florum dulce illi ad tempora Ver est.  
Sic potans totum in vultu gerit Appius annum.*

Eccli. 40. 20.

Quæ hæc, ô Superi, insania est! Vinum, quod latificat cor, & ad sanitatem hominis est creatum, ad satietatem, ad vomitum, ad ebrietatem, ad corporis imbecillitatem, ad omnes morbos promouendos, vtque tantò celerius promoneat, glacie mistum bibunt,

bunt, immò nimbi instar in ventrem irruere cogunt. Itaq; rectè idem Poëta ait:

*Coi vox, Senis est, nec dilige, nec fuge vinum.*

*Nam nocet, & prodest; hinc modicum, hinc nimium.*

*Contrà ego, non contrà: fuge vinum, dilige vinum;*

*Fer puer huc, tolle hinc; huc modicum, hinc nimium.*

Nimium quid aliud est, quàm venenum? Vnde quisquis vel sibi, vel alteri nimium propinat, idem facit, ac si ei venenum misceat. Quod Abacuc planè pronuntiat. *Va, qui potum dat amico suo mitens fel suum, & inebrians.* Fel enim, serpentum, aut draconum est maxime noxium. In sanitatem bibitur, donec venter hydrope intumescat. Ita Christo aduersatur bibones. Ille ex aqua vinum, isti è vino aquam faciunt, &, dum alijs bibunt, sibi sicutiunt.

Hinc, teste S. Augustino, *Omnes ebriof tales sunt, quales paludes esse videntur. Nascuntur in illis sanguisuga, rana, & diuersa genera vermium, qua magis horrorem possunt generare, quàm aliquid, quod ad victum proficiat, exhibere.* Vt autem scias, quid hoc venenum efficiat in corporibus (nam de animi morbis non loquor) vocem amittunt, ait S. Ambrosius, *colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt, sensu excidunt.* Non est hic terminus ebrietatis. A capite vsque ad pedes hominem vastat. Audias conquerentem de graui dolore capitis: si interrogas, vnde is dolor oriatur, dicet: Heri nimium bibi. Et aiunt, fuisse rudem Confessarium quempiam, in Italia, qui, cum ei Germanus confiteretur, se ebrium fuisse, experiri voluerit, quid sit ebrium esse. Cum igitur se se inebriasset, altero que die, capite doluisset, hac experientia doctus, reuertenti Germano, & ebrietatem rursus confitenti, pœnitentiæ loco injunxit, vt se se denuò inebriaret, & capitis dolore ventris delictum lucret, ratus nullam pœnitentiam posse ebrietate esse grauiorem. Ebrietas certè cerebrum catarrhis, nares destillatione, aures humoribus noxijs, oculos lippitudine, genas nasum que cupreo luròre implet. Nec rarè creat ingentem in dentibus cruciatum. Vino collum intumescit, & vocis via guttur obsidetur. Vino pulmones ad perniciem irrigantur; incenditur hepar; stomacho adimitur

Ff

cibi

Idem. Bera-  
Bahuf lib.  
cit.

Abacuc, 2. 15.

XI.  
S. Augustin:  
serm. 231. de  
tempore.

S. Ambr. lib.  
de Elia & je-  
iunio, cap. 16.